



M. ANTONII  
SABELLICI,  
RERUM VENETARUM  
AB URBE CONDITA,  
DECADIS SECUNDÆ,  
LIBER III.



Ndreas Dandulus Gradonico successit, vir singulari doctrina, & eloquentia, qualis in homine ejus ætatis esse potuit, haud omnino vulgari. Quippe qui res Venetas duplii dicitur scripsisse stilo, uno prolixiore, & ob id fortassis minus eleganti, cohibito altero, & ubi plus omnino, ut Caresinus ait, enituit eloquentiæ: comis ad hæc, atque natura munificus, unde Comifini cognomen traxisse ferunt. Hinc fuit credo, quod immatura adhuc ætate Procurator est factus: ac non multo post Princeps, quum

1342  
Andreas  
Dandulus  
Dux crea-  
tur.